



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCVII. De Fratre Karolo Mag. Generali & terrae Prussiae An. Dn.  
MCCCXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## ANIMADVERSI O.

(\*) Scrijkovvsky tantum legit : in die Martiniani.

## CAP. CCCVII.

De

*Fratre Karolo Mag. Generali & terræ  
Prusie An. Dn. MCCCXII.*

**F**Rater Karolus (a) de Treveris Magister Generalis XIII. terræ  
autem (b) Pruschiæ Mag. XIX. præfuit ferè annis XIII. Hic  
(c) vocatus à sanctissimo Patre ac Domino Joanne XXII. Papa,  
stetit cum multis fratribus in curia Romana per annum, & mul-  
ta Ordinis ardua expedivit. Lingvam Italicam novit sicut pro-  
prium, sine interprede loquebatur coram Papa & Cardinalibus;  
adeò affabilis & facundus fuit, quod etiam inimici ejus delecta-  
bantur eum audire. Infirmatus fuit in Curia Romana & adeò  
debilitatus, quod licet adhuc juvenis esset, reversus ad Almanni-  
am post paucos annos in civitate Treverensi apud fratres suos  
mortuus & sepultus est.

## ANIMADVERSIONES

- (a) Simon Grunovius hunc Karolum appellat Bosphorum, ipsumque  
genus à Romanis ab Antonino Caracalla expulsis duxisse refert.  
*Tract. XI. cap. V.* qua verò fide hoc asserat, ipse vident.
- (b) Hæc ita sunt intelligenda. Numerat Dusburgius à Primo Herman-  
no de Balken usque ad ultimum Henricum de Plozke septendecim  
(quamvis plures numerari possint, ut ex supra notis constat) Ma-  
gistros Pruschiæ Provinciales, quos ille Magistros simpliciter sine  
ullo addito appellat. Cum verò Sigfridus de Seuchtwangen in  
Prussiam sedem suam transferens Henricum de Plozke ex Magi-  
stro, Commendatorem magnum creasset, sine dubio Sigfridum  
hunc decimum octavum, & ipsius successorem Carolum de Tre-  
viris XIX. Magistros Pruschiæ nominat. Hæc itaque clara sunt.  
Sed illud dubium movet, quod Nobiliss. Dn. Gottofredus Zame-  
lius

lius notat Fridericum de Wildenbruf in quodam Privilegio de Anno 1321. se nominare Meister zu Preussen; cum tamen certum sit Magistros Provinciales tum jam fuisse abrogatos neque quisquam asseruit, Fridericum de Wildenburg Magistrum Ordinis Generalem fuisse.

## CAP. CCCVIII.

De

*Ædificatione Crismemel.*

Anno Domini MCCCXIII. infesto Paschæ frater Karolus Magister ad laudem & gloriam Dei & matris suæ & dilationem finium Christianorum congregatâ omni Virtute exercitus sui (a) ædificavit castrum Crismemelam in littore Memelæ supra (b) Raganitam ultra 6. leucas. Tanta fuit ibi multitudo navium, quod factus fuit pons super Memelam de ipsis, quem quilibet sine periculo poterat pertransire usque ad littus infidelium, de quo ponte Lethovini plus admirabantur, quam de omnibus factis Christianorum, quæ viderant in vita sua. Consummato ædificio Clerici sequente populo cum solempni processione reliquias ad Ecclesiam portaverunt, missam ibi solempniter celebrantes. Nec hoc prætereundum est, quod ex promissione Dei plures naves fratrum, quæ cum Victualibus & aliis quæ ad ædificationem castri sunt necessaria, fuerant oneratæ in mari, Naufragio perie-

*Anno Dn. MCCCXIII. die V. mensis May, Papa Clemens V. Canonizavit S. Petrum Confessorem, qui fuit Papa Celestinus V. & præcepit festum suum XIV. die mensis Junii observari.*

*Eodem anno circa festum B. Gregorii apparuit Cometa in sero X. diebus vertens comam ad Italiam.*

*Eodem anno in die Bartholomæi Henricus Imperator in Comitatu Senensi mortuus est & sepultus Pisis. X dies, quibus Imperator infirmabatur ante mortem suam. Hoc anno Allecum defecit in terra Prussia, quæ à tempore cuius memoria non extitit ibidem abundabat.*

runt,